Deo varia attributa nisi per rationem, & reduplicatur conceptus explicitus, quo virtualitèr distinguitur in re a bonitate, ità ut ibi exerceatur ipsa distinctio virtualis: nihil horum accidit, dùm dicitur *sapientia divina*, *bonitas divina*. Undè falsum est suppositum hujus propositionis, *attributum sapientiæ divinæ est formalitèr absolutè in re attributum bonitatis divinæ*: non secùs si dicerem: *hircocervus est formalitèr absolutè in re chimæra*. Sicùt enim non datur absolutè in re hircocervus, quod supponit hæc propositio; ità nec dantur in Deo absolutè in re attributa, hoc est, proprietates consequentes essentiam, quod supponit tamèn prior propositio: attributa enim dumtaxàt fiunt & dicuntur per rationem concipientem quasdam in Deo perfectiones per analogiam ex creaturis, tanquàm proprietates consequentes essentiam, quod in re tamèn non est, cùm nihil in Deo sit prius aut posterius, sed una simplicissima entitas.

Replicabis: Si sapientia in re formalitèr sit bonitas, misericordia sit justitia, voluntas sit intellectus, &c. Ergo saltèm erit verum dicere, quòd absolutè formalitèr in re misericordia puniat, justitia parcat, quod intellectus velit, voluntas intelligat; atqui hæc falsa sunt & absurda: ergo, &c.

R. 1. N. Maj. Quia, cùm prædicatur operatio propria alicujus attributi, tùnc importatur explicitè per modum consignificati ratio, proptèr quàm unum attributum virtualitèr distinguitur ab altero; ità ut ibi exerceatur distinctio virtualis, ideòque operatio unius attributi non possit de altero formalitèr prædicari.

R. 2. N. Min. Si Ly *formalitèr* in minori sumatur absolutè pro essentia seu quidditate, ut est a parte rei; quia hoc sensu verum est, quòd eadem entitas simplicissima, quæ essentialitèr in re est misericordia, puniat; quòd eadem entitas, quæ essentialitèr in re est voluntas, intelligat; licèt tamèn non puniat reduplicativè sub ratione misericordiæ, id est proùt æquivalet virtuti miserendi in creatis; nec intelligat proùt æquivalet virtuti volendi creaturæ.

Ex quo sequitur, & quòd non intercedat distinctio formalis Scoti, cùm sit simplicissima entitas, quæ hæc omnia præstat; & quòd admittenda sit distinctio nostra virtualis, cùm hæc omnia præstet proùt æquivalet pluribus realitèr distinctis in creaturis.

Contra 2. conclusionem posset objici, definitum esse in Conc. Rhemensi, ne ratio in Theologia distinguat inter essentiam & personam. Sed hoc præoccupavimus suprà §. 2. n. 3. require ibi.

Objicies insupèr contra eandem: Non possunt formari distincti conceptus formales de Deo, nisi ex parte Dei respondeant distincti conceptus objectivi: atqui ex 1. conclusione non sunt in Deo distincti conceptus objectivi: Ergo.

R. N. Maj. Ad formandos enim distinctos conceptus formales inadæquatos de Deo sufficit infinita ejus perfectio, quæ cùm æquivaleat pluribus realitèr distinctis, præbet intellectui meo fundamentum eam concipiendi inadæquatè sub una ratione, & non sub alia.

Objicies iterùm contra eandem. Deo repugnat compositio rationis: ergo & distinctio rationis. Patet consequentia; quia Deus non est minùs unus quàm simplex; & distinctio opponitur unitati, sicut compositio simplicitati.

R. N. Conseq. quia ad compositionem etiàm rationis requiritur duplex pars sese excludens, quarum una se habeat in potentia ad alteram, vel utraque ad totum: compositio enim strictè sumpta est unio partium; de ratione autèm partis est quòd compartem excludat. Undè fundamentum compositionis rationis deberet esse distinctio virtualis major, seu per modum excludentis & exclusi, quæ, ut probavimus, repugnat Deo. At verò fundamentum distinctionis rationis non repugnat Deo; est enim, ut diximus, eminentia illius entitatis ex una parte, & ex altera imperfectio & limitatio nostri intellectus.

APPENDIX.

PEtes 1. An omnia attributa in Deo sint æqualia.

R. 1. Si sermo sit de attributis, proùt sunt a parte rei, esse æqualia; non æqualitate positiva, quæ peteret realem distinctionem; sed æqualitate negativa, quæ consistit in negatione excessus; sunt enim in re unum & idem.

R. 2. Si sermo sit de illis, proùt a nobis concipiuntur, sub distinctione: vel considerantur sub ratione entis increati & infiniti, quam transcendentalitèr includunt; & sic sunt æqualia, quia hæc ratio utpotè indivisibilis & unica omnibus æqualitèr imbibitur. Vel considerantur sub ratione explicita, & per analogiam ad similes perfectiones in creatis; & sic sunt inæqualia secundum quid, quia intellectus v. gr. explicat majores perfectiones quàm voluntas, & sic de cæteris.

Petes 2. An Deus & Beati faciant etiàm distinctionem rationis inter essentiam & attributa?

R. Probabiliùs negativè: quia fundamenta distinctionis ratiocinatæ sunt partim eminentia rei, partim imperfectio intellectus diversis conceptibus inadæquatis rem attingentis; Deus autèm unico intuitu suam licèt eminentissimam essentiam attingit: itèm & Beati saltèm visione beatifica, quia Deum cognoscunt unica & simplicissima specie, nimirùm divina essentia gerente vices speciei tàm impressæ, quàm expressæ, ut dicemus infra.

Dixi: *saltèm visione beatifica*; quia non videtur repugnare, quòd Beati per cognitionem aliam, quam habent extra verbum, possint formare diversos conceptus de essentia Dei, & sic formare distinctionem rationis.

DISSERTATIO III.

DE ATTRIBUTIS IN PARTICULARI, QUÆ PERTINENT AD DIVINUM ESSE.

D. Th. a Q. 3. ad 11.

ATtributorum, quæ in Deo concipimus, quædam, ut jam notavi, spectant ad ejus esse seu substantiam, quædam ad operationem; & cùm secundum nos prius sit esse quàm operari, hinc cum D. Thom. priùs agimus de iis, quæ spectant ad esse divinum; deindè de iis, quæ spectant ad ejus operationem, ut de scientia, providentia, &c. Et cùm perfectius cognoscamus Deum per negationem, removendo scilicèt ab ipso imperfectiones creaturarum, quas penetrare possumus, quàm per affirmationem, affirmando de ipso divinas perfectiones, quas satis capere non valemus; hinc iterùm cum S. Doctore a negativis incipimus, & 1. de Simplicitate Dei, seu non compositione, agimus. Undè sit

ARTICULUS I.

De Simplicitate Dei. D. Thom. Quæst. 3.

NOta, duplicem esse simplicitatem: una est, quæ provenit ex potentialitate & defectu: altera est, que procedit ex forma & actu. Prima paupertatem & imperfectionem secum affert, & convenit materiæ primæ, quæ est propè nihil. Secunda summam denotat perfectionem & actualitatem; & de ea est quæstio.

Quæritur 1. Utrùm Deus sit corpus?

Idololatras corpus Deo tribuisse, certum est; siquidèm aut idola sua, aut solem, aut lunam, aut cœlum, aut plantas, aut bruta, aut homines, Jovem, Saturnum, &c. pro diis haberent. Qui error indè fluxit, inquit Aug. lib. de utilit. credendi, quòd *hi, nimis in hæc corporalia progressi, atque lapsi, nihil aliud putant esse* (Deum) *quàm quod istis quinque corporis nunciis sentiunt*. Idem error tribuitur Sadducæis inter Judæos.

Inter Christianos verò, quosdam Ægypti Monachos ex Audæanorum secta sustinuisse Deum esse corpus, referunt Socrates l. 6. hist. c. 7. Et Sozomenus l. 8. c. 11. An ipse Audæus Sectæ Auctor in hunc errorem impegerit? Quidam affirmant, alii negant, ea potissimùm ratione, quòd S. Epiphanius ipsi coævus hæresi 70. ubi de Audæanis agit, laudat Audæum tanquàm virum sanctitate conspicuum, in eoque dumtaxàt duo reprehendit: Primum, quòd Pascha cum Judæis celebraret luna 14. Secundum, quòd ex imperitia & cum nimia pertinacia contenderet hominem secundum corpus est factum ad imaginem Dei. Quem errorem refellens ibidèm S. Epiphanius, ostendit ex eo sequi, quòd Deus sit corporeus: hujus tamèn erroris non insimulat Audæum, imò ipsum S. Epiphani argumentum satis innuit Audæum non expressè docuisse Deum esse corpus: alioquin frustra hoc grave inconveniens ex ejus doctrina arguendo deduxisset; sed probabile est, id-fui-

fuisse causam erroris posterioribus Audæi discipulis, qui disertè affirmabant Deum esse corpus; undè dicti sunt Antropomorphitæ. An verò Tertullianus ipse, Deum esse corporeum, censuerit, gravior est inter eruditos concertatio, de qua in digressione speciali ad calcem hujus articuli.

R. igitùr ad quæstionem negativè. Est de fide. (*Quæst. 3. art. 1. o. s. c.*)

Prob. 1. ex Scripturis Joann. 4. dicitur: *Spiritus est Deus*. 2. ad Cor. 3. *Dominus autem spiritus est* 1. ad Tim. 1. Deus dicitur invisibilis. 3. Reg. 8. immensus. Malachiæ 3. immutabilis. Quæ omnia nullatenùs convenire possunt corpori, sed soli spiritui. Undè in Concil. Lateran. IV. cap. *Firmitèr*, dicitur: *Una est Dei essentia, substantia seu natura simplex omninò*. Omitto Patres, quorum doctrina est aperta pro hoc dogmate Catholico.

Prob. ratione triplici. 1. Deus est primum movens immobile, ut patet ex supra dictis; atqui omne corpus moveri potest, vel motu locali transeundo ab uno loco ad alium, vel motu alterationis recipiendo de novo aliquod accidens: ergo. 2. Deus est primum ens, ut ex antè dictis constat; atqui corpus non potest esse primum ens: ergo. Prob. Min. Primum ens est actus; licèt enim in uno & eodem, quod exit de potentia in actum, potentia sit prius tempore quàm actus, actus tamèn simplicitèr est prior potentia; quia quod est in potentia non reducitur ad actum nisi per ens actu: atqui omne corpus est in potentia, quia continuum in quantum hujusmodi est divisibile in partes in infinitum: ergo. 3. Deus est id quod est nobilissimum in entibus, ut jam sæpè dictum est; atqui impossibile est, aliquod corpus esse nobilissimum in entibus: ergo. Prob. Min. Corpus aut est vivum, aut non vivum; si non vivum, manifestum est quòd vivum sit eo nobilius, saltèm substantialitèr; si vivum, non vivit in quantùm corpus, alias omne corpus viveret, sed vivit per aliquid aliud, sicùt corpus nostrum vivit per animam: atqui illud per quod vivit corpus est nobilius, quàm corpus: Ergo. (*Ibid. c.*)

Dices: In Scripturis tribuuntur Deo ea, quæ non nisi corpori conveniunt. 1. Tribuitur Deo trina extensio: dicitur enim Job. 11. *Excelsior cœlo est, quid facies? Profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus & latior mari*. 2. Tribuuntur Deo membra, Job. 51. brachium. Ps. 33. oculi, 3. Tribuitur situs, Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem*. Et ibid. 3. *Stat ad judicandum Dominus*. 4. Tribuuntur affectiones animi conjuncti corpori, ut pœnitere & irasci. Gen. 6. *Pœnitet me fecisse hominem*. Itèm, *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creavi*. Ps. 6. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*: ergo.

R. Hæc & similia intelligenda esse, non in sensu proprio ac litterali, sed improprio & metaphorico; solet enim Scriptura tradere nobis spiritualia & divina sub similitudine corporalium, ut sese modo nostro cogitandi & loquendi apteret. Igitùr 1. cùm trinam dimensionem Deo attribuit sub similitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualem ipsius designat, utpotè per profunditatem, virtutem ad cognoscenda occulta; per altitudinem, excellentiam virtutis supèr omnia; per longitudinem, durationem sui esse; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. 2. Per brachium intelligitur ejus potentia operativa ad extra; per oculum ejus scientia & providentia. 3. Per sessionem, ejus immobilitas & auctoritas; per stationem, ejus fortitudo ad debellandum omne, quod adversatur. 4. Per pœnitentiam & iram intelligitur non affectus animi, sed affectus, quem inter homines solent producere pœnitentia & ira, scilicèt retractatio operis patrati, & offensæ vindicta. (*Ibid. ad 1. 3. & 4. & art. 2. ad 2.*)

Quæritur 2. Utrùm in Deo sit compositio materiæ & formæ?

Nota: licèt secundum rei veritatem omne & solum corpus sit compositum ex materia & forma; quia tamèn id ab omnibus conceditur, ideò quærit hic S. Doctor: an Deus, quamvis non sit corpus, sit nihilominùs compositus ex materia & forma.

R. Negativè, (*Ibid. art. 2. c.*)

Prob. triplici ratione. 1. Quia Deus est actus purus: atqui in actu puro nulla est materia, quæ essentialitèr involvit potentialitatem: ergo. 2. Deus est bonus & perfectus per suam essentiam, non per participationem; atqui quod componitur ex materia & forma, est bonum per formam, adeòque per participationem: ergo. 3. Deus est primum agens simplicitèr; atqui quod est primùm agens simplicitèr, debet esse primò & per se forma: ergo Deus est primò per se forma, non compositus ex materia & forma. Prob. Min. Unumquodque agit per suam formam: ergo, quod est primum agens simplicitèr, debet, &c.

Quæritur 3. Utrùm sit idem Deus, quod sua essentia vel natura: id est, utrùm Deus careat compositione substantiali ex natura & supposito?

Antè responsionem. Nota 1. Quòd S. Doctor per hoc nomen Deus, quod importat suppositum, intelligat id, quod habet veram deitatem, sive sit individuum deitatis, ut indivisum & præintellectum tribus personis, sive sit persona incommunicabilis, Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus.

Nota 2. Suppositum duo naturæ seu essentiæ superaddere: non enim solum complectitur id, quod per definitionem importatur, utpotè principia speciei. Sed naturæ superaddit 1. principia individuantia, ut sunt in humanitate, v. g. hæ carnes, hæc ossa, hæc quantitas, hæc accidentia materiam signantia; licèt enim hæc non includantur in humanitate, includuntur tamèn in hoc supposito, quod est homo. 2. Superaddit subsistentiam seu existentiam per se, quæ est terminus & complementum naturæ ex ea resultans. Juxta hanc acceptionem propriè est suppositum; juxta primam minùs propriè. Quæstio D. Thom. videtur procedere de supposito improprè & primo modo sumpto, non de secundo modo, & propriè sumpto, ut indicat ejus probatio. His notatis

R. Ad quæstionem affirmativè.

Prob. 1. Ex illo Joan. 14. *Ego sum via, veritas & vita*; atqui vita in Deo est ipsa ejus deitas, seu natura: ergo idem est Deus, quod sua natura. Et ità videtur definitum in Conc. Rhemensi contra Gilbertum Porretanum, qui nolebat abstracta posse prædicari de Deo in concreto, ut vidimus dissertatione superiori: & quem hoc validissimo argumento urgebat S. Bernardus: Si deitas non est Deus, vel est nihil, vel aliquid quod non est Deus. Nihil dici non potest, cùm sit natura divina qua Deus est Deus. Neque est aliquid quod non est Deus, quia vel esset minus aut majus Deo, vel ipsi æquale; non minus, tùm quia est id quo Deus est; id autèm, quo Deus est Deus, est infinitum, nec potest esse minus eo quod constituit. Non majus, quia id, & non Deus, foret summum bonum. Non æquale, quia tùnc essent duo summa bona, quod est impossibile: Ergo. (*Ibid. in a. s. c.*)

Prob. insupèr. In incorporeis natura non distinguitur a supposito; atqui Deus est incorporeus, ut probatum est: ergo. Prob. Maj. Ideò in rebus corporeis natura distinguitur a supposito, quia natura dicit tantùm ea, quæ ingrediuntur definitionem speciei, seu id quo tale est tale, v. g. natura hominis id, quo homo est homo; suppositum autèm ultrà hoc includit naturam individuatam, & varia accidentia quibus individuantur: individuantur enim naturæ corporeæ per materiam signatam certis accidentibus, ergo in eis, quæ se ipsis individuantur: & non per materiam, ut sunt incorporea, nihil aliud includit suppositum, quod non includat natura, adeòque sunt unum & idem. Vides, ut dixi priùs, hanc rationem procedere de supposito, sùmpto improprie pro individdo: ipse enim S. Doctor alibi pluriès docet, subsistentiam distingui in Angelis ab essentia; nec tamèn indè sequitur, D. Thomam diminutè loquutum fuisse siquidèm infra art. 7. omnem omninò compositionem a Deo removeat.

Cæterùm nec in Deo esse compositionem ex natura & subsistentia, hac generali ratione probatur, quòd sit actus purissimus, ens summè perfectum, identificans essentialitèr omnem perfectionem, adeòque & subsistentiam; ex qua proindè & natura non componitur.

Quæritur 4. Utrùm in Deo sit idem assentia & esse?

Id est, utrùm Deus sit ità simplex, ut careat compositione substantiali ex essentia & existentia; sumit enim hìc S. Th. esse pro existentia.

R. Affirmativè.

1. Prob. triplici ratione. Si existentia non esset de essentia Dei, vel causaretur ab illa tanquàm proprietas, vel ab aliquo principio extrinseco. Non primum; quia, quod non est, non potest sibi dare existentiam: in hoc casu autèm supponitur Deum non existere. Non etiàm secundum; aliàs Deus non esset prima causa efficiens. 2. Quia aliàs essentia esset in potentia ad existentiam, tanquàm ad suum actum: atqui hoc repugnat actui purissimo, qualis est Deus: ergo. 3. Illud, quod habet esse, & non est esse, est ens per participationem, sicùt quod habet ignem & non est ignis, est ignitum per participationem; atqui Deus non est ens per participationem, sed a se & per essentiam: ergo. (*Ibid. art. 4. c.*)

Quæritur 5. Utrùm Deus sit in aliquo genere, seu prædicamento?

R. Negativè.

Prob. Quod ponitur in aliquo genere vel prædicamento, ponitur directè seu propriè ut species, vel reductivè ut principia & privationes; sic v. g. punctum reducitur ad prædicamentum quantitatis: atqui neutro modo Deus potest poni in prædicamento; non directè ut species, quia omnis species constat genere & differentia: in Deo autèm non potest concipi genus & differentia, cùm genus importet potentialitatem. Non etiàm reductivè, quia id, quod ponitur reductivè in aliquo predicamen-

mento, non extendit ultrà istud prædicamentum; sic punctum non est principium, nisi quantitatis continuæ; atqui Deus est principium totius esse pervadens omnia genera: ergo. De hac quæstione fusiùs in Logica. (*Ibid. art.* 5. *c.*)

Quæritur 6. Utrùm in Deo sint aliqua accidentia; sive, utrùm sit in eo compositio accidentalis?

R. Negativè: quia subjectum comparatur ad accidens, sicùt potentia ad actum; subjectum enim per accidens est aliquo modo in actu; atqui esse in potentia omninò removetur a Deo, utpotè actu purissimo: Ergo. (*Ibid. art.* 6. *c.*)

Quæritur 7. Utrùm Deus sit ita simplex, ut nullam omninò admittat in se compositionem?

R. Affirmativè. Est de fide decisa in Concilio Lateran. suprà cit. (*Ibid. art.* 7. *c.*)

Prob. ratione quintuplici. 1. Ab enumeratione compositionum, quas hùc usquè a Deo rejecimus. Etenim in Deo non est compositio, neque quantitativarum partium, quia corpus non est; neque compositio formæ & materiæ, neque compositio ex natura & supposito, neque ex essentia & existentia, neque compositio generis & differentiæ, neque subjecti & accidentis: Ergo nullo modo est compositus, sed omninò simplex. 2. Omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ab ipsis; atqui Deus est primum ens simpliciter a nullo dependens: ergo. 3. Omne compositum causatur ab aliquo, partes diversas uniente; atqui Deus a nullo causatur; cùm sit prima causa efficiens: ergo. 4. In omni composito reperitur potentia & actus; vel enim una pars est in potentia ad aliam, vel omnes partes ad totum; atqui Deus est actus purissimus expers omnis potentialitatis: Ergo. 5. In omni composito est aliquid, scilicèt pars, quod non est ipsum; atqui omne, quod est in Deo, Deus est: Ergo.

Dices: Mysterium SS. Trinitatis non videtur cohærere cum summa simplicitate: ergo. Prob. Ant. Summa, & indivisa simplicitas non compatitur pluralitatem; atqui in Deo est Trinitas personarum: Ergo.

R. N. Ant. Ad probationem, D. Maj. summa, & indivisa simplicitas non compatitur pluralitatem in eo, in quo est simplicitas, C. in alio, in quo non est simplicitas, N. In Deo autèm est simplicitas in natura, pluralitas verò in personis.

Repones: illæ personæ sunt in natura: ergo est pluralitas in eo, in quò dicimus esse simplicitatem.

R. D. Antteced. Illæ personæ sunt in natura ut identificatæ in illa, C. Sunt in natura, ut distinctæ ab illa, N. Undè non componunt cum illa, sed sunt idem; quia compositio est distinctorum unio, neque etiàm componunt comparatæ ad invicèm; quia ut sic non uniuntur, sed opponuntur. (*In d.* 8. *q.* 1. *o. art.* 1. *ad* 4.)

Si quæras: utrùm saltèm in Deo possit admitti compositio rationis? respondimus negativè in fine articuli, de distinctione attributorum dissertatione præcedenti.

Quæritur 8. Utrùm Deus in compositionem aliorum veniat tanquèm pars vel formalis, vel materialis, seu alio quovis modo?

R. Negativè. Est 1. contra Marcum Varronem, qui teste Aug. l. 7. *de Civit.* cap. 6. posuit, quòd Deus esset anima mundi. 2. Contra Almarianos, qui posuerunt Deum esse principium formale omnium rerum. 3. Contra Davidem de Dinando, qui stultissimè posuit, Deum esse materiam primam. (*Hic art.* 8. 2.)

Prob. 1. Deus est prima causa efficiens omnium; atqui causa efficiens non coincidit secundum numerum cum forma rei factæ, sed tantùm secundum speciem; sic homo generat hominem, non se ipsum: cùm materia autèm rei factæ, nequè secundum speciem coincidit, nàm materia est in potentia, & efficiens in actu: Ergo Deus non est forma aut materia rerum a se factarum. 2. Cum Deus sit prima causa efficiens, ejus est primò, & per se agere: atqui id quod venit in compositionem alicujus, non est primò & per se agens, sed magis compositum; non enim manus agit, sed homo per manum; & ignis calefacit per calorem: Ergo. (*Ibid.*)

Confirmatur. Quod componit tanquàm pars est minùs perfectum, quàm totum, quod ex illa & altera parte exurgit; atqui repugnat, Deum esse minùs perfectum, quàm ulla res: Ergo.

Dices 1. In mysterio Incarnationis Verbum divinum componit Christum cum natura humana: Ergo Deus potest venire in compositionem alterius.

R. D. Ant. Verbum divinum componit Christum cum natura humana per modum materialis, aut formalis inhærentis, N. Ant. Per modum termini complentis, actuantis, & perficientis naturam humanam: C. Ant. Primam compositionem, utpotè imperfectione permixtam, rejicit hic S. Doctor; non secundam, quæ maximam importat perfectionem, & quam admittit in 3. parte. Imò potest dici, quòd duæ naturæ in Christo nullo modo habeant rationem partis, & compartis: de ratione enim compartis est, quòd cùm alia parte constituat totum, quod sit perfectius qualibet parte seorsùm, quod hic non accidit. De hoc fusiùs in tract. de Incarnatione.

Dices 2. Quæcumque sunt, & nullo modo differunt, sunt idem; atqui Deus & materia prima sunt, & nullo modo differunt: ergo penitùs sunt idem; & cùm materia prima intret compositionem rerum, ità & Deus. Prob. Min. Quæcumque differunt, aliquibus differentiis differunt, & ita oportet ea esse composita; atqui Deus & materia prima sunt omninò simplicia: ergo nullo modo differunt. Ita David de Dinando.

R. D. Maj. Quæcumque sunt, & nullo modo differunt differentia propriè, vel impropriè sumpta, sunt idem, C. Maj. Quæcumque sunt, & nullo modo differunt differentia propriè sumpta, differunt tamèn differentia impropriè sumpta pro diversitate, sunt idem, N. Maj. Et ad hunc sensum distincta Minori, N. Conseq. Dicendum igitùr, quòd simplicia non differunt aliquibus aliis differentiis, hoc enim compositorum est: sic homo, & equus differunt rationali, & irrationali differentiis; hæ autèm differentiæ non differunt ampliùs ab invicèm aliis differentiis, sed se ipsis. Undè, si fiat vis in verbo, non propriè dicuntur differre, sed diversa esse: nàm secundum Philosophum 10. Metaphys. diversum absolutè dicitur ex hoc, quòd non est idem, sed omne differens aliquo differt. Differentia igitùr in his quærenda est, quæ in aliquo genere univoco conveniunt, oportet enim aliquid in eis assignari secundum quod differant; in his autèm, quæ in nullo univoco conveniunt, non est quærendum quo differant, sed se ipsis diversa sunt. Undè, si fiat vis in verbo, materia prima, & Deus non differunt, sed sunt diversa se ipsis, quatenùs unum est actus purus, aliud potentia pura in nullo univoco convenientiam habentes. Vide S. Th. loco cit. contra Gentes, cum commentariis Ferrariensis. (*Ibid. ad* 3. & 1. *contr. gent. cap.* 17.)

APPENDIX.

De Systemate Benedicti Spinosæ.

ERrori Davidis de Dinando affine est impium, ac insanum systema Benedicti Spinosæ, qui ex Judæo Amstelodamensi Atheus sæculo proximè præterito in suis Ethicis, opere posthumo, prioris figmentum certa methodo instauravit. David posuit, materiam primam esse Deum. Spinosa ponit, unicam esse mundi substantiam, eamque esse Deum, hoc innixus fundamento, quòd in rerum natura non possint esse duæ, vel plus substantiæ unius natutæ vel attributi; quod probat hoc argumento, non multùm dissimili a sophismate Davidis de Dinando. *Si darentur plures distinctæ substantiæ, deberent inter se distingui, vel ex diversitate attributorum, seu naturæ, vel ex distinctione affectionum. Si tantùm ex diversitate attributorum, conceditur ergo non dari, nisi unam ejusdem attributi seu naturæ. At si ex distinctione affectionum, cùm substantia sit prior natura suis affectionibus, & in se considerata, hoc est, verè considerata, non poterit concipi ab alia distincta, hoc est, non poterunt dari plures, sed una tantùm.*

Verùm hoc sophisma unico flatu diluitur, sic distinguendo ultimas particulas: ergo *non poterunt dari plures, sed tantùm una* specie, transeat. *Sed tantùm una* numero, N. Sic Petrus & Paulus sunt ejusdem specie naturæ, distinguuntur autèm numero per varias affectiones, seu accidentia. Insupèr quoad primam partem argumenti: ex hoc, quòd non possint dari plures substantiæ ejusdem naturæ, non sequitur, quòd non possint dari plures diversæ naturæ seu attributi; consequentèr indè inferri non potest, esse unicam totius mundi substantiam, quæ sit Deus. Insupèr, quàm sit falsum istud assertum, mòx pluribus ostendam.

Sed figmenta figmentis addit insanus Author. Fingit namquè 1. unam substantiam ab alia produci non posse. 2. Nullam præter Deum concipi posse substantiam. 3. Hujus unius substantiæ esse duos modos ab illa indistinctos, extensionem scilicèt, & intelligentiam; sicque omnia mundana corpora esse modos illius qua est extensa; omnes intelligentias, modos illius qua est intelligens. 4. Hanc esse æternam, infinitam, immensam, immutabilem, perfectissimam, quia est necessaria. 5. Hanc, seu Deum omnia formalitèr continere. 6. Omnia, quæ sunt in mundo, aut sub intellectum cadere possunt, ex cæca divinæ naturæ necessitate sequi; sicùt radius ex sole, fructus ex arbore, ita ut in mundo nihil sit contingens. 7. Consequentèr Deum nihil operatum fuisse propter aliquem finem, liberè tamèn operari; sed libertatem intelligit a coactione, non a necessitate. Hæc & alia plura deliramenta effutit Spinosa, quæ retulisse, refutasse est.

Ut tamèn tantispèr redeamus ad caput erroris, nimirùm esse unicam totius mundi substantiam, quæ est Deus. 1. Ipsis sensibus constat, esse plures in mundo substantias, cùm partes ejus

ejus nedùm ab invicèm separari possint, sed sint de facto separatæ. 2. In mundo est substantia extensa, est & cogitans, lapis est extensus, homo cogitat; atqui hæ sunt distinctæ substantiæ: ergo. Prob. Minor. ex ipso Spinosa in Eth. num. 3. Ubi dicit, quòd substantia sit quod in se est, & per se concipitur, hoc est, id quod non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat; atqui res cogitans potest concipi sine re extensa, & vice versa res extensa sine re cogitante: ergo. 3. Cogitatio hominis non èst Deus, neque modus Dei: ergo quid a Deo distinctum. Prob. Ant. Deus ex Spinosa est ens in omni genere perfectionis infinitum; atqui cogitatio hominis est finita, & imperfecta. Itèm modus concipi non potest sine re, cujus est modus; sic sessio Petri non potest concipi sine Petro. At cogitatio hominis concipi potest, non concepto Deo. 4. Hæc unica mundi substantia, cujus sunt duo modi, scilicèt extensio, & intelligentia, præcisè secundùm se considerata, quid est? materia, àn spiritus? si materia: infero 1. ergo vilis potentia, non ens actu perfectissimum, qualis est Deus. 2. Infero: ergo est cæca, & non intelligens, qualicumque enim motu, modificatione, extensione, aut figura donaveris materiam, nunquàm ex illa cogitationem, aut intellectionem elicies. 3. Infero: ergo est iners sine motu, & sine forma. Undè ergo tot modi, tot formæ, tot affectiones? ex ipsa necessitate naturæ, inquit Spinosa; sed quid ista necessitas, & undè? verba sunt, & nihil aliud. Insupèr impossibile est aliquid ex alio necessariò sequi, nisi in eo contineatur; nemo enim, quantumvis necessariò agens, dat, quod non habet. Itèm, si ex necessitate naturæ omnia entia, quæ sunt in mundo, sequantur, a quo habebunt quòd sint finita, & limitata? quod enim est a se, & necessariò agit, nullo limitari potest, cùm nihil aliud prius, a quo sit vel dependeat, supponatur. Itèm non minùs est impossibile, quòd tàm mira, & ordinata mundi dispositio ad proprios fines sequatur ex cæca naturæ necessitate, quàm ex fortuito atomorum Epicuri concursu. Si verò hæc unica mundi substantia secundùm se considerata sit spiritus, sequitur 1. Quòd non identificat sibi extensionem, & intelligentiam tamquàm duos modos a se iedistinctos; tùm quia hi duo minùs opponuntur inter se, quàm stare simùl, & sedere, proindèque non possunt uni, & eidem convenire; tùm etiàm quia, sicùt intelligentia repugnat materiæ, ità extensio repugnat spiritui. Sequitur 2. Omnia, quæ sunt in mundo, non ex cæca necessitate naturæ hujus substantiæ sequi, ut vult Spinosa, sed e contrà hujus spiritus intelligentia producente, & dirigente, prodire. 5. Tandèm, si Deus sit unica, & universalis mundi substantia, sequitur, quòd quidquid existit in mundo, sit vel formalitèr Deus, vel formalitèr in Deo, utpotè ejus modus ab eo indistinctus, secundùm Spinosam. Infero: ergo Deus est formalitèr lapis, planta, equus, canis, simia, vermis, &c. cùm omnibus suis imperfectionibus. Itèm infero: ergo est simùl calidus, & frigidus, rotundus, & quadratus; talia sunt enim plura entia in mundo. Itèm est simùl sactus, & scelestus, hujusmodi enim sunt plures. Itèm: ergo, dùm homo hominem odit, execratur, vulnerat, occidit, deprecatur, &c. Deus ipse se odit, execratur, vulnerat, occidit, deprecatur, &c. Quibus nihil insanius fingi potest. Alia, & longè plura opponi possunt, & opponunt quidam Theologi contra istum systema: sed ab eis supersedemus, quia piget nos tot, & tàm absurdis figmentis seriò refutandis diutiùs immorari.

DIGRESSIO HISTORICA.

Ad quæstionem primam præcedentis articuli. Utrùm Tertullianus senserit, Deum corporeum?

DIco: Probabile est, Tertullianum non sensisse Deum esse corporeum; aut saltèm eum hunc errorem revocasse.

Prob. 1. pars. Error de Dei corporeitate conciliari non potes cum principiis doctrinæ Tertulliani: ergo. Prob. Ant. 1. Principium Tertulliani doctrinæ est, quòd omne corporale sit passibile l. de anima cap. 7. docet autèm libro contra Praxeam cap. 29. Deum esse impassibilem. 2. l. de Bapt. cap. 11. asserit, Deum esse simplicem: *Proh misera incredulitas!* inquit, *quæ denegat Deo proprietates suas, simplicitatem, & potestatem.* Si autèm Deus esset corporeus, non esset simplex. 3. Apolog. 17. docet, Deum esse immensum, neque ullo loco posse circumscribi, quod non convenit corpori. 2. Lib. adversùs Hermogenem docet, Deum non esse divisibilem in partes, qualis tamèn foret, si esset corporeus. 5. Apolog. cap. 21. docet, tres personas Trinitatis esse unum spiritum, unum Deum, unius substantiæ, quod non cohæret cum sententia de Dei carporeitate. 6. Disserte docet, Deum esse spiritum; hæc sunt ejus verba Apolog. 20. *Nam, & Deus spiritus.*

Contra hanc ultimam probationem opponunt aliqui, Tertullianum pariter dicere animam esse spiritum, quamvis ex professò doceat esse corpoream. Verùm alio, & alio sensu attribuit Deo, & animæ spiritum. Etenim dicit, Deum esse spiritum substantia, & natura, seu proùt spiritus opponitur moli corporeæ, & extensæ, patet ex locis cit. n. 1. & 5. Dicit autèm, animam esse spiritum non natura, & substantia, sed proùt spiritus opponitur moli extensæ, sed proùt significat vitam, & respirationem; patet ex l. de anima cap. 11. *animam*, inquit, *spiritum necesse est certa conditione dicamus, non status nomine, sed actus; nec substantiæ titulo, sed operæ; quia spirat, non quia spiritus propriè est.*

Prob. 2. pars ex Aug. l. 10. de Genes. ad litteram cap. 25. ubi sic discurrit: *Tertullianus quia corpus esse animam credidit non ob aliud, nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit; & ideò timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo voluit alitèr sapere; qui sanè quoniàm acutus est, interdùm contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco, omne corporale passibile esse? Debuit ergo mutare sententiam, qua paulò superiùs dixerat, etiàm Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum desipuisse, ut etiàm Dei naturam passibilem crederet.*

Dices 1. Tertullianus disertis verbis asserit, Deum esse corpus. Sic lib. de Carne Christi cap. 11. dicit: *Omne, quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale nisi quod non est.* Et lib. contra Praxeam cap. 7. *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est: Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie: sed & invisibilia illa, quæcumque sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt*: Ergo.

R. D. Ant. Tertullianus disertis verbis asserit, Deum esse corpus, lato, & improprio sensu, C. Stricto, & proprio sensu, N. Explicatur: Corpus a quibusdam antiquis, præsertim a Tertulliano, duplici sensu usurpatur. 1. Impropriè, pro omni eo, quod est reale, ac subsistit, & opponitur nihilo, inani, & vacuo. 2. Propriè, pro mole materiali extensa, & proùt opponitur substantiæ immateriali. Quandò igitur Tertullianus dicit, Deum esse corpus, intelligit de corpore impropriè, proùt est aliquid subsistens, & opponitur nihilo. Quod patet ex 1. loco cit. ubi dicit; *omne, quod est, corpus est sui generis.* 2. Ex his particulis *sui generis* in utroque loco adhibitis, quibus significat se non intelligere corpus simplicitèr, & propriè, sed certo modo. 3. Ex scopo, quem itendebat agens adversus Praxeam. Is enim contendebat, Filium Dei non esse quid reale subsistens, a Patre dimanans, sed inanem, ac vacuum vocis sonum, & aërem offensum; quem ut refelleret Tertullianus, non erat necesse, quòd adstrueret Verbum esse propriè corpus, sed sufficiebat ipsi adstruere Verbum esse quid reale subsistens, & non merum, ac inanem vocis sonùm. Undè statim subjungit; *quantò magis, quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit.* Et antè dixerat: *at ego nihil dico de Deo inane, & vacuum prodire potuisse.... nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit.* 4. Quia eo loci adversus Praxeam dùm dicit Deum esse corpus, simùl addit esse spiritum. Hæc autèm conciliari non possunt, si intelligeret de corpore propriè sumpto. 5. S. Phæbadius Agenensis Episcopus lib. contra Arianos tom. 4. Biblioth. Patrum Lugd. loquitur de Verbo Dei eodem prorsus modo ac Tertullianus, nemo tamèn ideò eum accusavit erroris contra immaterialitatem Dei. 6. Tandèm, quia S. Augustinus, licèt loco suprà cit. de Genesi, ìtèm Epist. 157. & l. 2. de anima cap. 5. videatur sentire, Tertullianum aliquandò corpus proprium Deo affinxisse; tamèn libr. de Hæresibus, qui præcedentibus est posterior, hær. 86. fatetur, Tertullianum posse intelligi, & excusari eo sensu, quem ipsi tribuimus. *Tertullianus*, inquit, *animam dicit immortalem quidèm, sed eam corpus esse contendit. Neque hoc tantùm, sed ipsum etiàm Deum. Non tamen Hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquo modu putari ipsam naturam, substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora; quamvis de anima tale aliquid sentiat: sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubiquè totus, &c.*

Dices 2., & simùl instabis. Tertullianus l. 2. contra Marcion. cap. 16. tribuit Deo membra humana, & humanos affectus, atque passiones: ergo corpus, verè, & propriè dictum, illi affinxit.

R: D. Ant. Tertullianus tribuit Deo membra humana, & humanos affectus, atque passiones proprio, & naturali sensu, N. Ant. Improprio, & metaphorico sensu, C. Ant. eo scilicèt sensu, quo ipsa Scriptura illa Deò tribuit, ut vidimus suprà.

Repones: Tertullianus videtur admisisse in Deo aliquas passiones propriè dictas: Ergo. Prob. Ant. lòco cit. contra Marcion. dicit, Deum habere *iram propter scelestos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter superbos, & quidquid non expedit malis. Sic, & misericordiam propter errantes, & patientiam propter resipiscentes, & præstantiam propter merentes, & quidquid*

quid bonis opus est. & l. 1. contra eumdem cap. 26. loquens de Deo, *stupidissimus ergo*, inquit, *qui non offenditur facto, quod non amat fieri, quando offensa comes fit frustratæ voluntatis. Aut si offenditur, debet irasci, si irascitur, debet ulcisci; nam & ultio fructus est iræ, & ira debitum offensæ, & offensa, ut dixi, comes frustratæ voluntatis*: ergo.

R. D. Ant. Tertullianus videtur admisisse in Deo aliquas passiones propriè dictas, corporeas, alterantes, & corruptorias, quales tribuit animæ, N. Ant. Incorruptorias, perfectas, felices, & cum summa Dei immutabilitate, & impassibilitate cohærentes, C. Ant. Ità se explicat l. 2. cit. contra Marcion. *Stultissimi*, inquit, *qui de humanis divina præjudicant, ut, quoniàm in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcircò & in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis tribue sensus tàm diversos, quàm substantiæ exigunt, licèt vocabulis communicare videantur.... tàm corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quàm incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.* Ex hoc autèm quòd Tertullianus hujusmodi passiones in Deo admiserit, colligere non possumus, quòd corpus illi affinxerit.

Dices 3. S. Th. 1. contra Gentes cap. 20. Tertullianum accenset iis, qui Deo corpus affinxerunt: ergo.

Respondet Natalis Alexander, S. Thomam spectasse dumtaxàt verba Tertulliani, & primam ideam quam ingerunt: reconditiorem autèm illorum sensum, facta cum ejus doctrinæ principiis collatione, penitùs perscrutatum non fuisse; quia id institutum ejus non postulabat, nihilque pertinebat ad Gentium conversionem expendere illam controversiam.

Cæterùm nihil vetat agnoscere, S. Thomam innixum variis authoritatibus D. Aug. ut vidimus antèà, tenuisse sententiam oppositam, ut probabilem; nec enim nos eam absolutè negamus, siquidèm non asseramus certò Tertullianum numquàm Deo corpus affinxisse, sed probabilitèr tantùm, & sub disjunctione, esse scilicèt probabile ipsum in hunc errorem non impegisse, aut si impegerit, eum revocasse. Nequè dicas, S. Aug. in opere posteriori de hæres. priorem sententiam certò revocasse, & Tertullianum excusasse. Non enim illic S. Aug. omninò assertivè loquitur, sed quasi dubitando, & inquirendo: *posset*, inquit, *quoquo modo putari*, &c. Quæ verba non sunt certò asserentis, sed favorabilitèr ex indulgentia opinantis, & excusationis causas inquirentis. Non ergo Aug. absolutè revocavit priorem sententiam, nec Tertullianum assertivè excusavit.

ARTICULUS II.

De perfectione Dei. D. Th. Q. 4.

QUæritur 1. Utrùm Deus sit perfectus?

Perfectum secundùm id, à quo nomen imponitur, idem est ac totalitèr factum, sed quod a potentia totalitèr est reductum ad actum; secundùm verò id, ad quod significandùm nomen est translatum, perfectum est, cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis. (*Hic art.* 1. *ad* 1.) De perfecto, hoc 2. sensu accepto, hic agitur. Undè

R. ad quæstionem affirmativè. (*Ibid.* 2.)

Prob. Deus est primum principium omnium rerum, non materiale, sed efficiens; atqui hoc oportet esse perfectissimum: ergo. Prob. Min. Sicùt materia in quantum hujusmodi est in potentia, ità agens in quantum hujusmodi est in actu: ergo quod est omnium rerum principium non materiale, sed efficiens, nullo modo est in potentia, sed in actu: atqui quod nullo modo est in potentia, sed in actu, est summè perfectum, quia, sicùt potentia importat imperfectionem, ità actus importat perfectionem: ergò. Id adhùc magis constabit ex sequenti solutione, & ex dicendis de infinitate Dei.

Quæritur 2. Utrùm omnium rerum perfectiones sint in Deo?

R. Affirmativè. (*Ibid. art.* 2. *o.*).

Prob. 1. ex Scriptura. Ps. 93. dicitur: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Eccli. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis. In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et alibi.

Prob. 2. Ratione. Quidquid perfectionis est in effectu, debet esse in causa effectiva ejus, vel secundùm eamdem rationem si sit causa univoca, ut homo hominem generat; vel eminentiori modo, si sit causa æquivoca, & superioris ordinis: sic calor formalis productus a sole est eminentèr virtualitèr in sole, nemo enim dat quod non habet vel formalitèr vel eminentèr; atqui Deus est causa prima effectiva omnium rerum: ergo. (*Ibid.*)

Prob. 3. Deus habet omnem essendi plenitudinem: ergo habet omnium rerum perfectiones. Patet consequentia; quia omnis perfectio est perfectio essendi, seu omnis perfectio attenditur penès aliquod esse: sic justitia dat esse justum, bonitas esse bonum; sicque, qui habet essendi plenitudinem, habet omnium perfectiones. Prob. Ant. Deus est ipsum esse per se subsistens essentialitèr, & a se; atqui, quod est ipsum esse per se subsistens essentialitèr, & à se, habet omnem essendi plenitudinem, cùm nihil sit, à quo possit limitari: ergo. (*Ibid.*)

Quæritur 3. Quomodò omnium perfectiones sint in Deo?

Ante responsionem notandum est, quòd jam prælibavimus, Art. 1. præcedentis Dissertationis, duplicis generis esse perfectiones. Quædam dicuntur simplicitèr simplices, aliæ simplices tantùm, seu secundùm quid. Perfectio simplicitèr simplex communitèr definitur a Theologis post S. Anselmum cap. 14. Monologii, *quæ est melior ipsa, quàm non ipsa.* Id est, quam habere melius est cuilibet enti quà enti, quàm illa carere; ut sunt vita, bonitas, sapientia, justitia, &c. Dixi: *quà enti*, & non quatenùs est hoc, vel illud ens: licèt enim v. gr. lapidi qua lapidi non sit melius vivere, quia per hoc destrueretur ejus essentia; illi tamèn quà enti melius est. Duplex ergo requiritur conditio ad perfectionem simplicitèr simplicem. 1. Quòd nullam in conceptu suo formali involvat imperfectionem. 2. Quòd ab eodem subjecto non excludat aliam perfectionem majorem vel æqualem; alioquin non esset melius illam habere, quàm illa carere. Perfectio simplex tantùm, seu secundùm quid, est, quæ non est melior ipsa quàm non ipsa, proindèque cui deest alterutra assignata conditio, scilicèt, aut in conceptu suo formali involvit aliquam imperfectionem, ut moveri, discurrere, esse corpus, esse sensitivum, esse quantum, esse coloratum, &c. Aut non compatitur in eodem subjecto aliam perfectionem majorem, vel æqualem, quò fit ut non sit melius illam habere, quàm illa carere. Hac ultima ratione relatio in divinis non dicitur perfectio simplicitèr simplex, non quòd ullam involvat imperfectionem, sed quia non compatitur in eadem persona aliam relationem æqualis perfectionis, v. gr. Paternitas filiationem; quo fit, quòd non sit melius habere Paternitatem, quàm illa carere, cùm Filius, qui illa caret, sit æqualis dignitatis, & perfectionis cum Patre.

Notandum insuper, aliquid in alio posse contineri multiplicitèr: 1. Formalitèr, seu quoad rationem suam formalem, sic calor continetur in igne, anima in homine. 2. Virtualitèr, quandò unum habet virtute quidquid perfectionis est in re contenta. Tùnc autèm censetur id habere virtute, vel quandò rem, quæ contineri dicitur, potest producere: sic planta continetur in semine, effectus in causa; vel quando se solo præstare potest omnia, quæ præstare potest res contenta: sic calor formalis ignis continetur virtualitèr in sole. 3. Eminentèr, quandò unum continetur in alio perfectiori modo, quàm sit in se ipso; & hoc vel eminentèr formalitèr, ut sensitivum in anima rationali, vel eminentèr virtualitèr, ut calor in sole. His notatis.

R. ad quæstionem 1. omnes perfectiones creaturarum simplicitèr simplices sunt in Deo formalitèr eminentèr.

Prob. 1. pars. Deus est summè, & infinitè perfectus: ergo continere debet omnes perfectiones, quæ nullam secundùm se involvunt imperfectionem, quales sunt perfectiones simplicitèr simplices; si enim una deest, non esset summè, & infinitè perfectus. Confirmatur: Perfectiones simplicitèr simplices prædicantur formalitèr de Deo; dicitur enim in sensu formali, Deus est sapiens, Deus est bonus, sicùt dicitur homo est sensitivus: ergo eas continet formalitèr.

Explicatur 2. pars: Perfectio simplicitèr simplex in creaturis, puta, sapientia, potest considerari duplicitèr: 1. ut est creata in hoc individuo. 2. Secundùm se, & in communi, proùt abstrahit a creata, & increata. Primo modo considerata limitatur ad certum genus, & speciem; est enim accidens, & qualitas talis vel talis speciei; & sic non est perfectio simplicitèr simplex, neque formalitèr est in Deo, sed virtualitèr tantum ad sensum sequentis responsionis. Secundò autèm modo considerata, abstrahit a limitatione generis, & speciei, importatque tantùm cognitionem per altissimam causam, & sic est perfectio simplicitèr simplex, estque formalitèr in Deo. Quandò ergo dicimus, perfectiones creaturarum simplicitèr simplices formalitèr contineri in Deo, non est sensus, quòd habeant in Deo illud ipsum esse creatum, & individuale, quod habent in creaturis, quasi Deus foret sapiens v. gr. sapientia creata hominis; sed quòd in eo sint secundùm rationem suam formalem in communi apprehensam, seclusa limitatione generis, & speciei, atque nobiliori, & altiori modo: ergo formalitèr eminentèr. Et hinc dicebamus suprà ex Aug. l. 5. de Trinit. cap. 1. Deum sine qualitate bonum, sine situ præsentem, &c.

R. 2. Perfectiones secundùm quid, quæ sunt tales ratione imperfectionis, non sunt in Deo formalitèr, sed tantùm eminentèr virtualitèr.

Prob. Impossibile est, aliquam imperfectionem esse formalitèr in Deo, utpotè ente perfectissimo; atqui perfectiones secundùm quid, de quibus agimus, involvunt in suo conceptu formali imperfectionem impræscindibilem, sic v. gr. si præscindas a ratiocinativo, seu discursivo imperfectionem, quam involvit, non

non remanet ratiocinativus, nec homo remanet homo: ergo hujusmodi perfectiones non sunt formalitèr in Deo. Adde, quòd si essent formalitèr in Deo, possent de Deo prædicari, & sic posset verè dici: Deus est rationalis, est sensitivus, leo, lapis, &c.

Sunt autèm in Deo eminentèr virtualitèr: 1. Quia Deus se solo præstare potest, & modo perfectiori omnia, quæ potest per illas. 2. Quia est causa illarum, quoad omnes earum differentias, non solùm genericas, sicùt sol est causa sublunarium, in quæ influit; sed etiam numericas, & atomas, quia est causa universalissima totius entis, quæ ratio entis transcendentalitèr imbibitur in omnibus differentiis: quiquid autèm est in effectu, necessariò præexistit virtute in causa, ut dictum est; & quidèm perfectiori modò, si sit causa æquivoca, & superioris ordinis, qualis est Deus: ergo perfectiones secundùm quid creaturarum continentur virtualitèr eminentèr in Deo. Hinc Aug. serm. 1. de verbis Apost. *Omnem*, inquit: *creaturam suam excedit...si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior...nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur. Sicùt legitur in Propheta* (Sap. 13.) *qui facit fortia, fortior est, & qui fecit pulchra, pulchrior illis est.*

Dices contra 1. partem S. Thomas infrà q. 14. art. 6. o. dicit, quòd Deus se habeat ad omnes creaturas in se contentas, sicùt homo ad animal, & sicùt numerus senarius ad numeros imperfectos sub se contentos; atqui homo formalitèr continet animal, & numerus senarius alios numeros inferiores: ergo.

R. D. Maj. Ly *sicùt* dicente aliqualem paritatem, C. dicente omnimodam paritatem, N. Non ergo S. Doctor facit in hoc paritatem, quòd, sicùt homo continet formalitèr animal, & numerus senarius alios inferiores, ità Deus continet formalitèr omnes creaturas: alioquin omnis creatura posset prædicari de Deo dicendo, Deus est animal: sicùt dicimus, homo est animal; quod numquàm somniavit S. Thomas, imò quod disertè asserit esse impossibile, infrà quæst. 13. art. 5. o. ubi dicit: & probat, quòd *sit impossibile aliquid prædicari de Deo, & creaturis univocè.* Sed in hoc facit paritatem, quòd, sicùt homo continet animal, & aliquid amplius, sicùt numerus senarius continet inferiores, & aliquid amplius; sic Deus continet omnes creaturas, & infinitum amplius, abstrahendo a modo continendi; & id sufficiebat ejus intento: probat enim illic, Deum cognoscere omnes perfectiones numericas creaturarum. Ad id autèm non requiritur, quòd illas formalitèr contineat; sed sufficit, quòd contineat eas virtualitèr.

Dixi in responsione: *perfectiones secundùm quid, quæ sunt tales ratione imperfectionis*: quia, quæ sunt tales ex hoc quòd non compatiantur aliam æqualem, vel majorem, ut relationes, sunt formalitèr in Deo.

Quæritur 4. Utrùm Deus, & omnes creaturæ simùl sint aliquid perfectius, & melius, quàm Deus solus?

R. Negativè. Sequitur ex dictis. Si enim Deus contineat omnes omninò perfectiones creaturarum, idque modò excellentiori: ergo æquè ad minùs perfectus est ipse solus, ac cum illis. Confirmatur. Infinitum additione finiti non fit majus; sed perfectio Dei est infinita, perfectiones creaturarum sunt finitæ. Undè Aug. Tract. 11. in Joann. *si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major; sed tu sine illo minor.* (*In* 3. *d.* 6. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 1. 2. 5. *de malo art.* 1. *ad* 4. 1. 2. *q.* 34. *art.* 3.)

Nihilominùs Deus, & creaturæ sunt plures res, & plures perfectionem habentes. Qua de causa quidam existimant, posse dici, quòd Deus, & creaturæ sint quid perfectius *extensivè*, quàm Deus solus, sed impropriè. Tò *perfectius* enim proprie significat intensionem, & non extensionem. (*In* 3. *d.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4.)

Quæritur 5. Utrùm aliqua creatura possit esse similis Deo?

R. Omnis creatura est aliquo modo, hoc est, imperfectè, similis Deo. (*Hic art.* 3. *o.*)

Prob. similitudo attenditur secundùm convenientiam, seu communicationem in forma; ac proindè talis est similitudo, qualis est formæ communicatio, seu convenientia. Atqui omnes creaturæ, in quantum sunt entia, in aliquo communicant Deo, non quidèm secundùm rationem univocam speciei aut generis, juxta quod foret perfectior similitudo, sed secundùm rationem analogicam entis: sicùt enim Deus est ens suo modo, scilicèt per essentiam, ità etiam proportionalitèr creaturæ sunt entia suo modo, scilicèt per participationem, & imitationem Dei. Hinc fit, quòd res illæ, quæ perfectiores sunt in suo esse, aut in pluribus gradibus, ut sunt creaturæ intellectuales, sint Deo magis similes. De hac ergo similitudine imperfecta intelligenda est Scriptura, quandò dicit hominem esse factum ad similitudinem Dei Gen. 1. & 5. & Jacob. 3. De similitudine autèm perfecta intelligenda est, quandò negat ullam creaturam esse similem Deo, ut Ps. 34. 39. & 70.

Utrùm verò vicissim Deus possit dici similis creaturæ?

R. negativè; quia tùnc solùm est relatio mutua, & æquipa-

rantiæ in similitudine, quandò duo habent formam ejusdem rationis, & ipsa sunt ejusdem ordinis. At verò, quandò id non obtinent, sed unum dumtaxàt dicitur simile alteri, quia illud aliquo modo imitatur, sicùt effectus causam æquivocant, aut imago prototypum; tùnc non est correlatio similitudinis; sic v. gr. licèt dicatur hæc imago similis Cæsari, malè tamèn diceretur, quòd Cæsar sit similis huic imagini; vel ut dicit Aug. l. 2. Soliloq. cap. 6. *Quis in speculum attendat, & rectè dicat se esse illi imagini similem, ac non potiùs illam sibi?* Atqui ità res se habet in Deo: ergo. (*Ibid. ad* 4. *& q.* 23. *de verit. art.* 7. *ad* 11.)

ARTICULUS III.

De Bono in Communi. D. Th. Q. 5.

QUæritur 1. In quo præcisè consistat ratio Boni formalis?

Quidam eam reponunt in perfectione, alii in appetibilitate: utrumque dicit S. Thomas. Hic art. 1. o. & alibi reponit in appetibilitate. *Ratio boni*, inquit, *in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile.* E contrà ibidem ad 1. & infrà art. 5. o. *Ratio boni*, inquit, *consistit in perfectione.* Sunt etiam rationes prò, & contrà. Ex una parte 1. Si alicui rei desit aliquid, quod ad ejus integritatem, seu perfectionem requiritur, dicitur mala: ergo bonitas in perfectione, seu integritate consistit; bonum enim dicitur per oppositionem ad malum. 2. Hæc causalis est vera: ideò aliquid est appetibile, quia est bonum: ergo ratio boni prior est ratione appetibilis. 3. Appetibilitas est denominatio extrinseca petita ab appetitu, sicùt visibilitas a visu: ergo antè denominationem debet præsupponi ratio boni, quæ non potest esse aliud, quàm perfectio rei in suo esse. Ex altera parte; si bonitas esset formalitèr perfectio, S. Thomas postquàm de perfectione Dei egit, frustrà addidisset hanc, & sequentem quæstionem de bonitate Dei. 2. Perfectio entis in suo esse est ejus constitutiva. Bonum autèm, quod est proprietas entis, sicùt verum, & unum, non constituit ens, sed supponit constitutum. Hinc augetur utrimque difficultas: quia bonitas, ut dixi, est proprietas entis, proprietas debet addere aliquid essentiæ, cujus est proprietas. Non videtur autèm, quid bonitas possit addere enti: nàm non potest addere aliquid reale, quia omne reale continetur sub ente; neque aliquid rationis, aliàs ens esset bonum fictum, & non reale.

Si dicas pro 1. sententia, addere relationem appetibilitatis. Contrà: Illa relatio vel est realis, vel rationis: Quodcumque dixeris, recurrit alterutrum inconveniens. Insuper, si sit realis, est vel prædicamentalis, vel transcendentalis. Non prædicamentalis, alioquin esset inferior ad ens, cùm sit unum ex prædicamentis; & sic non posset esse proprietas entis universalitèr sumpti. Adde, quòd ipsa sit quædam res bona: ergo non formalis bonitas, qua omnes res sunt bonæ. Neque potest esse relatio realis transcendentalis; 1. Quia relatio realis transcendentalis non distingnitur a re, sed est ipsa res ordinata. (*Q.* 21. *de verit. art.* 1.) 2. Quia nihil refertur transcendentalitèr ad aliud nisi quod dependet ab ipso, ipsa enim relatio est dependentia quædam: sic Deus non refertur realitèr ad creaturas, sed per rationem tantùm, quia non dependet ab illis; benè tamèn creaturæ ad ipsum, quia dependent ab illo. Similitèr scibile respectu scientiæ, sensibile respectu sensûs, & in omnibus, quæ se habent ut mensura, & mensuratum, perfectivum, & perfectibile; atqui bonum ut finis appetibilis est mensura, & perfectivum appetitûs, sicùt scibile est mensura scientiæ, & sensibile sensûs, non è contrà: undè non dependet ab appetitu, sed appetitus ab ipso, consequentèr non refertur realitèr ad appetitum, sed per rationem tantùm; quæ, quia appetitus realitèr refertur ad appetibile, concipit appetibile, ac si paritèr referretur ad appetitum; undè resultat relatio rationis dumtaxàt.

Pro conciliatione utriusque sententiæ, & harum difficultatum solutione, observandum est, quòd perfectio possit dupliciter considerari. 1. In genere causæ formalis. Constat enim, quòd perfectio formalitèr constituat rem perfectam in suo esse, quia unumquodque constituitur per actualitatem aliquam, & actualitas est perfectio. 2. In genere causæ finalis, moventis, & allicientis. Constat enim paritèr, quòd perfectio moveat, & allicìat appetitum tamquàm quid illi conveniens, & illius perfectivum: omnia enim appetunt suam perfectionem. Hoc prænotato: ad quæstionem

R. Ratio formalis boni consistit in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut conveniente appetitui, & illius perfectiva (utrumque dicit S. Thomas) (*Ibid. & q. de verit. art.* 1.) per modum appetibilis, & finalizantis. Et sic ratio boni formalitèr consistit, & in perfectione, & in appetibilitate. Ista autèm appetibilitas, licèt explicetur per relationem rationis ad appetitum, nec possit a nobis concipi sine illa, quia se habet ut illius perfectio, & ille refertur ad illam; non tamèn in ista relatione formalitèr consistit, sed in eo, quod est hujus fundamentum, & di-

dicitur appetibilitas radicalis, quæ re non distinguitur ab ipsa perfectione, sed tantùm per diversos conceptus, & respectus: sicùt, licèt omnipotentia Dei v. gr. non concipiatur a nobis sine respectu rationis ad creaturas, non tamèn in eo respectu consistit, sed in eo, quod est ejus fundamentum.

Ratio responsionis est; quia in bono debet salvari, quòd sit proprietas entis, & quòd illi conveniat, quatenùs est perfectum: utrumque autèm salvatur, illud formalitèr constituendo in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut perfectiva appetitûs per modum appetibilis finalizantis. Per hoc enim salvatur ratio perfecti, ut patet: itèm, & ratio proprietatis; quia ratio perfecti ut perfecti, & terminativi appetitûs concipitur sequi ad rationem perfecti ut constituentis.

Si dicas, quòd proprietas debeat distingui realitèr ab essentia, cujus est proprietas; perfectio verò ut perfectiva non distinguatur realitèr a perfectione, ut constituente, sed ratione tantùm. R. Quòd major distinctio non requiratur, nec sit possibilis in rationibus metaphysicis, & transcendentalibus entis; non enim possunt distingui realitèr ab ente universalitèr sumpto, cùm, ut jam dixi, ipsæ sint entia; & ideò non sunt proprietates in eo rigore, & cum illa distinctione, qua proprietates physicæ entis particularis ab illo distinguuntur, puta, risibilitas ab homine; sicque non addunt enti neque quid reale, neque quid rationis: sed sunt ipsum ens diversimodè conceptum, & fundans diversos conceptus rationis, sicùt resolvit S. Thomas in 1. art. hujus Quæst. atque per hæc satisfit instantiis, ex utraque parte propositis.

Ex dictis colliges 1. quòd ens sit priùs secundùm rationem, quàm bonum; quia priùs concipimus ens, quàm proprietatem ex eo sequentem; bonum autèm se habet ad ens, ut proprietatem ab eo virtualitèr distinctam, & ex eo sequentem. (*Hic art.* 2. *o.*

Colliges 2. contra Minichæos, (*Ibid. ad* 3.) omne ens, in quantum ens, esse bonum; quia omne ens in quantum ens est in actu, & consequentèr quodàm modo perfectum, quia omnis actus perfectio quædam est; atqui perfectum habet rationem boni, ut dictum est: ergo. Undè Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et 1. ad Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ex quo ulteriùs sequitur, quòd, quæ sunt tantùm entia in potentia, ut res possibiles, & materia prima, sint etiàm tantùm bona in potentia; & quòd Mathematica, proùt abstracta ab esse, motu, & materia sensibili, non sint bona. Qua de re vide latiùs Cajetanum hìc §. *Ad* 1. *dubium*, & Joann. a S. Thoma hìc disp. 6. art. 2.

Notandum tamèn, quòd, quamvis omne ens sit bonum, sintque idem secundùm rem; quia tamèn secundùm rationem differunt, non eodem modo dicatur ens simplicitèr, & bonum simplicitèr. Dicitur ens simplicitèr secundùm primum esse, quod est substantiale: dicitur bonum simplicitèr secundùm ultimum esse. Ratio est; quia, cùm ens dicat aliquid propriè esse in actu, actus autèm propriè dicat ordinem ad potentiam; secundùm hoc simplicitèr aliquid dicitur ens, secundùm quòd 1. discernitur ab eo; quod est in potentia, quod est esse substantiale; per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundùm quid: sic esse album significat esse secundùm quid, non enim esse album aufert esse in potentia simplicitèr, cùm adveniat rei jam præexistenti in actu. At verò bonum dicit rationem perfecti per modum appetibilis, & per consequens dicit rationem ultimi: undè, quòd est ultimò perfectum, dicitur bonum simplicitèr; quòd autèm non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam, in quantùm est in actu, non dicitur perfectum simplicitèr, nec bonum simplicitèr, sed secundùm quid. Sic ergo secundùm primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simplicitèr, & bonum secundùm quid, id est, in quantùm est ens. Secundùm verò ultimum actum dicitur aliquid ens secundùm quid, & bonum simplicitèr. (*Ib. art.* 1. *ad* 1.)

Colliges 3. Bonum habere rationem causæ finalis, quia habet rationem appetibilis; est enim bonum; ut jam dictum est, quod omnia appetunt; finis verò est id, quod appetitur. (*Ibid. art.* 4. *o.*)

Nota (*Cum D. Thom. q.* 6. *art.* 2. *ad* 2.) quòd, cùm dicimus bonum esse id, quod omnia appetunt, non sic intelligatur, quasi unumquodque bonum ab omnibus appetatur, sed quòd quidquid appetitur, habeat rationem boni, & sub ratione boni appetatur. (*Hic quæst.* 5. *art.* 4. *ad* 2.) Nota iterùm, quòd, cùm communitèr dicitur, bonum esse sui diffusivum, & communicativum, hoc non intelligatur secundùm proprietatem vocabuli *diffundare*, seu *communicare*, quod importat operationem causæ efficientis, sed proùt importat rationem causæ finalis; ita ut bonum dicatur sui diffusivum seu communicativum, quia natum est diffundere, seu communicare sui desiderium, & movere appetitum per modum causæ finalis ad sui assecutionem.

Colliges 4. (*Cum D. Thom. Ib. art.* 5. *o.*) Rationem boni secundùm quòd consistit in perfectione, etiàm consistere in modo, specie, & ordine, juxta illud Sap. 11. *Deus omnia in mensura & numero & pondere disposuit.* Ratio est; quia, ut diximus, unumquodque dicitur bonum, in quantùm est perfectùm, & perfectum dicitur, cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis; unumquodque autèm est id, quod est per suam formam; atqui forma præsupponit quædam, & quædam ad ipsam ex necessitate sequuntur: ergo ad hoc, quòd aliquid sit perfectum & bonum, necesse est quòd, & formam habeat, & ea quæ præexistunt, & ea quæ sequuntur ad ipsam. Subsumo: Atqui præexigitur ad formam determinatio, seu commensuratio principiorum, sive materialium, sive efficientium ipsam, & hoc significatur per modum, undè dicitur, quòd modum mensura præfigit. Ipsa verò forma significatur per speciem, quia per formam unumquodque in specie constituitur, & proptèr hoc dicitur, quòd numerus speciem præbet; quia definitiones significantes speciem sunt sicùt numeri; sicùt enim unitas addita vel subtracta variat speciem numeri, ità in definitionibus differentia apposita, vel subtracta. Tandèm ad formam consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi; quia unumquodque in quantum est in actu, agit, & tendit in id, quod sibi convenit secundùm suam formam, & hoc pertinet ad pondus, & ordinem: ergo ratio boni secundùm quòd consistit in perfectione, consistit etiàm in modo, specie, & ordine.

Colliges 5. (*Ibid. art.* 6. *o.*) Bonum convenientèr dividi in honestum, utile, & delectabile; quia, ut dictum est, bonum est aliquid, in quantùm est appetibile, & terminûs motus appetitus: sicùt autèm motus localis terminatur simplicitèr ad aliquid ultimum, quod est vel res, in quam tenditur, puta locus, vel quies in re illa, & secundùm quid ad medium, per quod itur ad ultimum (id enim dicitur etiàm terminus motus, in quantùm aliquam partem motus terminat) ità similitèr in motu appetitûs. Id igitùr, quod est appetibile terminans motum secundùm quid ut medium per quod itur ad aliud, vocatur *Utile.* Id autèm, quod appetitur ut ultimum terminans totalitèr motum appetitûs, si sit res, in quam per se tendit appetitus, vocatùr *Honestum*; quia honestum dicitur, quod per se desideratur: si sit quies in re desiderata, est *Delectabile*: ergo. (*Ibid. ad* 1.) Vides, hanc divisionem esse boni, reduplicativè qua boni, non qua entis; sic enim dividitur in decem prædicamenta. (*Ibid. ad* 2.) Itèm esse divisionem analogi in sua analogata; etenim bonum honestum est principalitèr bonum, alia verò sunt bona ratione illius.

ARTICULUS IV.

De bonitate Dei. D. Thom. Quæst. 6.

QUæritur 1. Utrùm esse bonum, Deo conveniat.

R. Esse bonum, præcipuè Deo convenit. Patet ex Scriptura Ps. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus*: & alibi. Ratio est: Illud est bonum, quod est perfectum appetibile; atqui Deus est perfectus maximè appetibilis: ergo. Prob. Min. Deus est causa omnium perfectionum, quæ sunt in creaturis; atqui omnia appetunt suam perfectionem: ergo. (*Q.* 6. *art.* 1. *o.*)

Si petas, utrùm re ipsa omnes creaturæ appetant Deum? R. Appetere saltèm implicitè; quia, quidquid appetunt ex creaturis, est participatio Dei (*Quæst.* 22. *de verit. art.* 2. *ad* 2.) Undè, qui videntur ex una parte, & quoad aliquid Deum fugere, aut odio prosequi, ex alia parte, & quoad ipsum implicitè appetunt; quia appetunt aliquid quod est participatio Dei, puta esse, aut meliùs esse, a miseriis liberari, vel aliquid aliud.

Quærirur 2. Utrùm Deus sit summum bonum?

R. Affirmativè. (*Hic art.* 2.) Prob. Omnes omnium rerum perfectiones, & bonitates profluunt a Deo, tamquam a causa æquivoca; atqui effectus est excellentiùs in causa æquivoca, quàm in se ipso: causæ enim æquivocæ producunt effectus sibi inferiores: ergo bonum est in Deo excellentissimo modo; & proptèr hoc dicitur summum bonum.

Quæritur 3. Utùm esse bonum per essentiam, sit proprium Dei?

R. Affirmativè. (*Ibid. art.* 2. *o.*) Prob. Unumquodque dicitur bonum secundùm quod est perfectum, ut patet ex dictis; atqui nulli enti creato, sed soli Deo competit esse perfectum per essentiam: ergo. Prob. Min. Perfectio alicujus rei triplex est. 1. Secundùm quòd in suo esse constituitur actu. 2. Proùt ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria. 3. Per hoc quòd attingit suum finem; sic v. gr. prima perfectio ignis consistit in esse, quòd habet per suam formam substantialem actu existentem. Secunda consistit in caliditate, levitate, siccitate, & hujusmodi. Tertia est secundùm quòd in suo loco naturali quiescit. Atqui hæc triplex perfectio, nimirùm actualis existentia, qualitates supperadditæ, & consecutio finis, nulli creato competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cujus solius essentia est suum esse, seu existere, & cui non adveniunt aliqua accidentia; sed quæ de aliis dicuntur accidentalitèr, sibi conveniunt essentialitèr, ut esse potentem, sapientem, & hujusmodi; & qui ad nihil aliud ordinatur sicùt ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum: ergo. Undè Luc. 18. dicitur: *Nemo bonus*, scilicèt per essentiam, *nisi solus Deus.*

Confirmatur: Unumquodque est bonum secundum quòd est perfectum; in tantum autèm est perfectum, in quantum est actu: atqui esse actu nulli creaturæ convenit essentialitèr, sed soli Deo: ergo. (*Hic q.* 5. *art.* 1. *o.*)

Dices: essentia rei creatæ, secundum se considerata, est bona bonitate propria, distincta a bonitate existentiæ: ergo est bona secundum essentiam. Prob. Ant. 1. Quia essentia, sic considerata, est ens, non enim est nihil: ergo est bona. 2. Quia sic considerata est appetibilis, non enim appetimus nudam existentiam sanitatis, v. gr. sed etiàm ipsam sanitatem. 3. Quia aliàs natura humana in Christo non haberet bonitatem propriam, & creatam, sicùt non habet propriam, & creatam existentiam. 4. Inter essentias creatas una est secundum se melior, & perfectior altera: sic dicimus, hominem esse essentialitèr perfectiorem equo: ergo est secundum se, & essentialitèr bona.

R. Concesso Antecedente D. Conseq. ergo est bona secundum essentiam, ly *Secundum* dicente rationem bonitatis sufficientem independentèr a quovis alio, N. Conseq. ly *Secundum* dicente rationem bonitatis quidèm, sed insuficientem independentèr a quovis alio, C. Conseq. Non nego igitur, essentiam creatam habere bonitatem propriam, sed illam non habet nisi dependentèr ab existentia; quod sic evidentèr probatur. Res eo modo est bona, quo est ens; bonum enim est passio entis; atqui res quamdiù non habet esse in rerum natura, nec est, nec dicitur ens simplicitèr, sed secundum quid tantùm, scilicèt in potentia, etenim simplicitèr nihil est; & quandò creatur, dicitur simplicitèr ex nihilo produci: ergo nec est, nec dicitur bona simplicitèr, sed solùm secundum quid & in potentia: ergo ad hoc, ut dicatur bona actu, & simplicitèr, requiritur existentia, saltèm ut conditio: existentia autèm nulli creaturæ est essentialis, sed soli Deo.

Hinc patet solutio instantiarum. Ad 1. enim R. Creaturam, & ens ut actuatum per existentiam esse bonum simplicitèr; seclusa vero existentia, sicùt est ens in potentia, ità esse bonum in potentia. Similitèr ad 2. non appetimus nudam existentiam, sed rem, actuatam tamèn per existentiam. Ad 3. Natura humana in Christo habet propriam bonitatem, quatenùs actuatam, si non per humanam existentiam, saltèm per divinam. Ad 4. una essentia est melior altera essentialitèr actu, & simplicitèr, quatenùs actuatur per existentiam; secùs, est melior secundum quid tantùm, & in potentia.

Instabis: omnis essentia, antequàm existat, intelligitur integra, & eam ut talem diligit Deus amore complacentiæ: ergo independentèr ab existentia est bona.

R. D. Ant. Essentia, antequàm existat, intelligitur integra objectivè, & possibilitèr, C. Ant. Intelligitur integra entitativè, & simplicitèr, N. Ant. Ad hunc sensum, D. Conseq. ergo independentèr ab existentia est bona objectivè, & possibilitèr, C. Conseq. est bona entitativè, & simplicitèr, N. Conseq. Utrùm autèm diligatur a Deo amore complacentiæ in statu possibilitatis, dicemus infrà.

Quæritur 4. Utrùm omnia sint bona bonitate divina?

R. unumquodque esse bonum bonitate divina extrinsecè, & causalitèr, quatenùs bonitas divina est causa efficiens exemplaris, & finalis totius bonitatis. Nihilominùs formalitèr, & intrinsecè, unumquodque est bonum similitudine divinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formalitèr sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, & etiàm multæ bonitates. (*Hic quæst.* 6. *art.* 4. *o.*)

ARTICULUS V.

De Infinitate Dei. D. Thom. Quæst. 7.

QUæritur, utrùm Deus sit infinitus secundum essentiam, & rationem entis?

Nota 1. Infinitum dicitur, quod caret fine, seu termino. Undè, si careat terminis essentialibus, erit infinitum in essentia; si careat terminis in certo genere attributi, puta quantitatis, aut qualitatis, erit infinitum in isto genere. Hic agit D. Thomas de infinitate Dei quantùm ad essentiam, seu rationem entis.

Nota 2. Termini limitativi essentiæ sunt vel extrinseci, vel intrinseci. Terminus limitativus extrinsecus est causa efficiens, quæ, dato quòd posset producere effectum infinitum, si sit infinita, potest etiàm ipsum producere limitatum. Termini limitati intrinseci sunt vel metaphysici, scilicèt genus, & differentia, quibus res constituitur in certa, & finita specie; vel physici, scilicèt forma, & materia, sive subjectum receptivum se habens per modum materiæ. Quod ultimum cùm quidàm impugnent; (1. *contr. gent. cap.* 43.) Prob. 1. Omnis actus alteri inhærens terminationem recipit ex eo, in quo est; quia id, quod est in altero, est in eo ad modum recipientis: sicùt liquor in vase ad ejus mensuram aptatur; & unum accidens est perfectius in uno subjecto, quàm in altero. Actus ergo receptus in aliquo subjecto coarctatur secundum subjecti potentialitatem in explicando plùs, vel minùs suam perfectionem, & virtutem: Similitèr forma terminat potentialitatem materiæ, vel subjecti ad determinatam perfectionem, vel speciem. 2. Materia, seu subjectum receptivum, & forma dependent ab invicèm in modo causandi, & essendi; sibique ad invicèm suas conditiones communicant, & miscent: ergo se limitant, cùm non relinquant se in sua puritate, sed mixtum, & limitatum cum alio. 3. Omne receptivum est in potentia ad actum, cujus est receptivum, consequentèr non infinitum in ratione entis perfecti, & puri, de qua infinitate hìc est quæstio. Similitèr actus receptus in potentia recipientis non est purus, quia conjungitur potentialitati; sicque minor actu puro: ergo limitatus. His notatis, & probatis; ad quæstionem

R. Deus est infinitus secundum essentiam, & rationem entis. (*Hic q.* 7. *art.* 1. *o. Ibid.* & 1. *contr. gent. c.* 43.)

Prob. Deus quantùm ad essentiam, & rationem entis caret omni limitativo: ergo. Prob. Ant. Limituri non potest extrinsecè per causam efficientem, quia est a se; neque intrinsecè per genus, & differentiam, aut materiam, & formam, quia, ut probavimus suprà, est ens simplicissimum expers omnis compositionis, sive ex genere, & differentia, sive ex materia, & forma, sive ex essentia, & existentia; quia, ut diximus, est essentialitèr suum esse, ità ut esse seu existere in Deo, cùm sit ipsa essentia, non sit in ea receptum; neque ulterioris actûs receptivum, cùm existentia sit omnium actualitatum ultima: Ergo.

Hinc inferes 1. nihil aliud præter Deum esse infinitum per essentiam; quia vel componitur ex materia, & forma, vel ex genere, & differentia, quibus limitatur ad certum prædicamentum: quòd si sit forma quædam transcendens omnia prædicamenta, qualis est existentia, cùm nihil aliud præter Deum sit essentialitèr suum esse, seu existere, talis existentia in creatis est receptibilis in essentia, & componit cum illa, sicque per illam limitatur: sicùt paritèr essentia, ut receptiva existentiæ, limitatur per illam, seu saltèm per ordinem ad illam. (*Hic quæst.* 7. *art.* 2. *o.*)

Inferes 2. Nullum creatum esse infinitum actu secundum quantitatem, aliudve accidens; quia accidens infinitum peteret essentiam, & subjectum infinitum. De infinito actu in creaturis, vide plura in Physica. (*Ibid. art.* 3. & 4. *o.*)

ARTICULUS VI.

De Immensitate Dei. D. Thom. Quæst. 8.

§. I. *Prænotanda.*

NOta 1. Immensum dicitur quasi sine mensura. Undè, si spectetur quantùm ad divinum esse, est infinitas; si quoad durationem, est æternitas; si quoad locum, est incircumscribilitas: & de immensitate hoc ultimo sensu sumpta hìc agitur.

Nota 2. Immensitas, & Ubiquitas, licèt quandoquè pro eodem sumantur, non sunt tamèn omninò idem. Immensitas dicit actum primum; Ubiquitas actum secundum. Est ergo immensitas aptitudo, seu capacitas existendi in omnibus rebus, & locis, etiam infinitis, si darentur. Ubiquitas verò est actualis existentia in omnibus rebus, & locis, quæ sunt. Quapropter immensitas est Dei attributum, quia naturalitèr, & necessariò illi convenit: Ubiquitas autèm non est Dei attributum; quia illi convenit liberè, & in tempore.

Nota 3. Triplici modo generali Deus dicitur communitèr ex Glossa supèr cap. 5. Cantic. esse in omnibus, scilicèt per potentiam, per præsentiam, & per essentiam; ad modum, quo aliquid dicitur esse in rebus humanis. Sic Rex dicitur esse in toto regno per potentiam, & imperium, quia, licèt non sit ubiquè præsens, ubiquè tamèn imperare potest, & omnia dirigere per suos ministros. Per præsentiam dicitur aliquis esse in omnibus, quæ in prospectu ejus sunt; sicùt omnia, quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui existenti in domo, qui tamèn non est secundum suam substantiam in qualibet parte domûs. Secundum verò substantiam, vel essentiam dicitur aliquis esse in loco, in quo ejus substantia habetur. Hoc, inquam, triplici modo generali Deus dicitur esse in omnibus: 1. per potentiam; quia omnia subduntur ejus potestati,

& imperio, omniaque gubernat, & dirigit. 2. per præsentiam, quia *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Ad Hebr. 4. per essentiam, seu substantiam; in quantum adest omnibus ut causa essendi, ut fusiùs modò probabimus. (*Hic q.* 8. *art.* 3. *o.*)

Nota 4. Præter hos communes, & generales modos, quibus Deus existit in omnibus rebus, sunt alii speciales modi, quibus dicitur existere in certis rebus. (*Ibid.*) Sic specialì modo dicitur existere per gratiam in Justis, & Sanctis, qui diligunt illum actu, vel habitu; est enim in illis, ut amatum in amante, & consequentèr per modum amici inhabitantis, & conviventis, atque finis inchoatè possessi, & fruibilis; de quo latè vide Joann. a S. Thom. hic art. 6. Itèm speciali modo Deus est in Cœlo per gloriæ manifestationem, & in Christo per unionem hypostaticam, & in variis aliis, in quibus specialitèr operatur, ut in Sacramentis, &c.

Nota 5. Manichæi apud Epiph. hæres. 66. negarunt existentiam generalem Dei in omnibus rebus per potentiam, quatenùs dicebant spiritualia, & incorporalia tantùm esse subjecta divinæ potestati; visibilia verò, & corporalia esse subjecta potestati contrarii principii. Fuerunt alii, qui negarunt existentiam Dei generalem in omnibus per præsentiam, quatenùs dicebant providentiam divinam se usquè ad hæc inferiora corpora non extendere, ex quorum persona dicitur Job. 22. *Circa cardines Cœli perambulat, nec nostra considerat.* (*Ibid.*)

Existentiam autèm generalem Dei in omnibus per essentiam, seu substantiam negarunt, teste S. Hieronymo ad c. 66. Isaiæ, ii inter Judæos, qui Deum Templo Jerusalem concludebant. Itèm ex Gentilibus, quotquot Deum corporeum finxerunt. Eam quoquè negant Seciniani, & quidam Calvinistæ, quibus ex Catholicis annumerandus est Augustinus Eugubinus in Psalm. 138. Hi enim docent, Deum esse quidèm ubiquè per potentiam, & operationem, at secundùm substantiam esse duntaxat in Cœlo, eo modo quo sol in orbe suo substantialitèr existens influit in sublunaria. De hoc solo modo generali, quo Deus est in omnibus secundùm substantiam, nunc est difficultas. Undè

§. II. *Utrùm Deus sit secundùm substantiam in omnibus rebus?*

DIco: Deus secundùm substantiam est intimè in omnibus rebus. (*Hic art.* 1. *o.*)

Prob. 1. ex Scriptura. Deuteron. 4. dicitur: *Deus in cœlo sursùm, & in terra deorsùm.* Ps. 138. *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Jerem. 23. *Numquid non cœlum, & terram impleo? dicit Dominus.* Job. 11. *Excelsior cœlo est...profundior inferno, longior terra mensura ejus, & latior mari.* Hi porrò textus, & plures alii similes in sensu naturali, & obvio, ut consideranti patet, non nudam præsentiam cognitionis, aut potentiæ important, ut volunt Sociniani, sed veram præsentiam substantiæ. Adde, quòd iis Deus dicatur esse in inferno, & in terra eo modo, quo dicitur esse in cœlo; in cœlo autèm esse substantialitèr concedunt Sociniani. Confirmando dogmati Catholico adstipulantur passim SS. Patres, quorum textus referre longiùs foret.

Prob. 2. ratione. 1. Immensitas est perfectio simplicitèr simplex: ergo non est Deo deneganda. (3. *cont. Gentr. cap.* 68.) Sic se habet res incorporea ad hoc, quòd sit in loco per quantitatem virtutis, sicùt res corporea ad hoc, quòd sit in loco per quantitatem dimensivam: atqui, si esset aliquod corpus habens quantitatem dimensivam infinitam, oporteret illud esse ubiquè: ergo, si sit aliqua res incorporea habens virtutem infinitam, oportet quòd sit ubiquè; ostensum est autèm, Deum esse infinitæ virtutis: est igitur ubiquè. (*Ibid. & hic art.* 1. *o. & art.* 3. *o.*) 3. & præcipuè, Deus operatur in omnibus per virtutem suæ substantiæ identificatam; atqui omne agens est præsens passo, saltèm virtute: ergo. Verùm hæc fundamentalis ratio, quam impugnant Scotistæ, magis explicabitur §. sequenti.

Objicies 1. ex Scriptura Isaiæ 66. *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Psalm. 10. *Dominus in templo suo, Dominus in cœlo sedes ejus:* ergo Deus est tantùm in cœlo, ut in propria sede.

R. D. Conseq. Ergo Deus est tantùm in cœlo per apertam revelationem gloriæ suæ, C. Conseq. Per essentiam, N. Hæc ergo, & similia verba Scripturæ non significant, quòd Deus non sit per essentiam alibi, quàm in cœlo; sed quòd sit in cœlo specialì modo, ut jam dixi, scilicèt per majestatem, & gloriæ suæ manifestationem in Beatis: sicùt speciali modo est in inferno per justitiam vindicativam, & in justis per gratiam.

Instabis. Psalm. 113. dicitur, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: Ergo sic videtur esse in cœlo, ut non sit in terra, sed eam reliquerit hominibus.

R. juxta communem Doctorum interpretationem, eumdem esse horum verborum sensum, ac præcedentium, hunc scilicèt: supremum cœlorum destinatum est Domino in thronum, & aulam regiam, in qua glorificat Sanctos; terram autèm dedit in usum hominum, quod non excludit præsentiam Dei generalem in ea per essentiam. Quidam hæc verba intelligunt respectivè ad divisionem terræ Promissionis; ità ut sensus sit: Deus sibi reservavit distributionem bonorum cœlestium, distributionem autèm terræ concessit filiis hominum, scilicet Moysi, & Josuë.

Repones: Deus in Scriptura dicitur ascendere, descendere, ambulare; atqui, qui est ubiquè, incapax est motus localis: ergo.

R. D. Maj. Deus dicitur ascendere, descendere, &c. in sensu proprio, N. Maj. In sensu metaphorico, C. Sic enim sæpè loquitur Scriptura, ut se aptet captui nostro, & significet Deum in se immotum tales effectus edere, quales nos edimus, dùm movemur, dùm ascendimus, descendimus, &c. Sic dicitur Deus ad nos accedere, dùm beneficia largitur; a nobis recedere, dùm gratias subtrahit; descendere, ambulare, dùm necessitatibus nostris invigilat. Dicitur etiàm quandoquè ambulare in specie humana, sicùt apparuit Adamo in Paradiso terrestri.

Objicies 2. ex Patribus. Clemens Alexandr. l. 1. Strom. sic ait: *Illi quidèm dicunt, Deum universam pervadere substantiam; nos autèm solùm dicimus effectorem.* S. Aug. l. 83. quæstionum dicit, Deum nullibi esse. Idem Aug. l. 2. de divers. quæstionibus ad Simplic. q. 1. Et Joannes Damascen. l. 1. Orthod. Fid. cap. 16. dicunt, esse dumtaxàt in loco per operationem, & non nisi abusivè dici eum esse in loco. Lactantius lib. de Opificio Dei c. 16. dicit, Deum esse tantùm in cœlo, eo modo quo anima est tantùm in cerebro.

R. ad 1. Clemens Alexandr. negat, Deum pervadere universam substantiam ad sensum Stoicorum, contra quos illic agit: hi autèm dicebant, Deum pervadere omnem substantiam, & omnibus rebus immisceri, tanquàm partem, & animan mundi: non autèm negat, Deum esse secundùm entitatem in omnibus sensu Catholico. Ad 2. & 3. SS. Patres dicunt, Deum nullibi esse, non esse in loco, nisi abusivè, non ut excludant præsentiam Dei spiritualem, & substantialem in omnibus, quam variis in locis adstruunt; sed ut removeant omnem sensum materialis, & corporalis præsentiæ; quia Deus non est in loco ad modum corporis per varias sui partes correspondentes variis partibus loci, & circumscriptivè, quasi inclusus, & contentus in illo, sed potiùs illum continens; & ideò abusivè dicitur esse in loco, cùm potiùs deberet dici locum esse in illo. Ad quartum: Deus est in cœlo speciali modo, sicùt anima est in cerebro speciali modo; id autèm non impedit, quin sit generali modo in omnibus, sicùt anima est generalitèr in toto corpore. Si quid aliud prætendat Lactantius, deserendus est; in multis enim, ut advertunt Authores, parùm theologicè, imò erroneè locutus est, & ideò ejus opera inter apocripha a Gelasio Papa sunt amandata.

Objicies 3. Si Deus esset ubiquè, foret extensus; atqui extensio repugnat Deo, cùm sit spiritus: ergo.

R. D. Maj. Si Deus esset ubiquè modo corporeo per contactum quantitatis dimensivæ, foret extensus, C. Maj.. Si foret ubiquè modo spirituali per contactum virtutis, N. Maj. Est autèm ubiquè Deus per contactum virtutis, ut ampliùs dicemus modò. Undè præsentia ejus in rebus non est æstimanda ad instar præsentiæ alicujus corporis, sed corrigenda est imaginatio, & mens est avocanda a sensibus.

Objicies 4. Ab inconvenientibus. Si Deus esset in omnibus rebus, esset in rebus sordidissimis, quin imò in dæmonibus; atqui hoc videtur indecens, & absonum: ergo.

R. N. Min. Cùm enim Deus sit spiritus, rerum corporearum sordibus non maculatur: sicùt non maculatur anima sordibus corporis leprosi cui unitur, nec lux solis luto, in quo diffunditur.

Quantùm ad dæmones; cùm in eis importetur & natura, quæ est a Deo, & deformitas culpæ quæ non est ab ipso, non est absolutè concedendum, quòd Deus sit in dæmonibus; sed cùm hac additione in quantùm sunt res quædam. Idem dic de peccatoribus. In rebus autèm, quæ nominant naturam non deformitatem, absolutè dicendum est Deum esse (*Hic art.* 1. *ad* 4.)

§. III. *Utrùm existentia substantialis Dei in rebus efficacitèr demonstretur ex ejus operatione virtualitèr transeunte; & quo genere demonstrationis.*

HOc est, utrùm operatio Dei virtualitèr transiens sit non tantùm ratio, per quam cognoscimus eum esse secundùm substantiam in rebus; sed etiàm sit ratio formalis, per quam existit in rebus: sicùt quantitas materialis est ratio formalis, per quam corpus est in loco; consequentèr an demonstratio existentiæ Dei in rebus ex ejus operatione, sit a priori & per locum intrinsecum? Utrumque affirmant Thomistæ cum S. Thoma: utrumque negant Scotistæ cum Scoto. Extra utramque scholam multi adhærent Thomistis quantùm ad 1. non ità multi quantùm ad 2.

Dico 1. Existentia Dei secundùm substantiam in omnibus rebus probatur efficacitèr ex ejus operatione in illis.

Prob. 1. Ex illo Apostoli Act. 17. *Non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim* (id est, per ipsum, ut vertunt alii) *vivimus, movemur & sumus*: ubi Apostolus ex operatione Dei in nobis probat eum in nobis existere. Nam de Dei præsentia entitativa Apostolum loqui, & non tantùm de præsentia ejus objectiva, seu cognitione (ut interpretatur Erudit. P. Henno post quosdam alios: quasi Apostolus inferret tantùm Deum esse nobis cognitum, quia operatur in nobis) parte 1. ex aliis versionibus, in quibus legitur sic: *Quamvis non longè ab unoquoque nostrum subsistentem.* 2. Ex S. Aug. l. 4. de Genes. ad litt. c. 12. n. 23. ex S. Hilario in Ps. 118. & aliis, qui hunc locum Apostoli intelligunt de præsentia Dei substantiali. 3. Quia constat, Deum a multis nostrum abesse quantùm ad cognitionem, cùm multi non cognoscant Deum.

Prob. 2. ex Patribus. S. Aug. loc. cit. dicit: *Cùm aliud sumus, quam ipse Deus, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.* S. Anselmus in Monolog. c. 22. *Quoniam nihil sine Deo potest esse, aut conservari, dicere cogimur Deum ubiquè & semper esse.* Hugo Victorinus l. 7. erud. Theolog. c. 19. apud Gonet. *Cùm divinæ virtutis effectus nusquam deesse cernimus, cur eamdem Dei virtutem omnibus inesse rebus dubitamus?* Si autèm Dei virtus ubiquè est, cùm alia non sit Dei virtus, quam Deus, constat, quòd nusquam Deus est.

Respondet laudatus P. Henno, in his & similibus Patrum locutionibus non esse consequentias formales, quasi ex operatione Dei inferrent necessariò ejus præsentiam substantialem; sed esse tantùm consequentias materiales, quasi dicerent: non est potior ratio, cur Deus ubiquè operetur, quàm quod sit ubiquè; sed operatur ubiquè: ergo est ubiquè.

Sed contra hæc responsio non solùm est ficta absquè ullo fundamento, sed apertè contraria textibus citatis, ut legenti patet. Insupèr multùm derogat authoritati Patrum, si dicamus eos de rebus Religionis discurre per consequentias tantùm materiales.

Ante probationem a ratione præmitto ex Joanne a S. Thom. quòd duo in existentia possint considerari. 1. Ratio ultimæ actualitatis, secundùm quam esse, seu existentia respondet enti ut ens est, & secundùm quòd est quid commune omni enti creato, & creabili. 2. Ipsa specificatio, & limitatio existentiæ, secundùm quam pertinet ad talem vel talem naturam, puta, quòd sit existentia equi aut lapidis, ratione cujus una existentia distinguitur ab alia. Esse secundùm rationem ultimæ actualitatis, & universalitatem, qua correspondet enti ut ens est, est proprius effectus Dei, tùm quia effectus universalissimus debet reduci per se primò in causam universalissimam; (*Hic art.* 7. *o.*) tùm quia, sicùt ignire est effectus proprius ignis, eo quòd ignis sit per essentiam ignis, ità quia Deus est ens per essentiam, proprius ejus effectus est dare esse simplicitèr. Secundùm verò quòd existentia habet de restrictione & specificatione ex parte talis vel tàlis naturæ cujus est esse, sic correspondet etiàm agenti creato, in quantum producendo formam, seu naturam creatam, producit etiàm esse ut restrictum ad talem formam. Nec est inconveniens, quòd aliquis effectus secundùm diversas considerationes correspondeat diversis causis. Et sic existentia secundùm rationem actualitatis universalis, & communis omni enti, correspondet primo enti; secundùm verò specificationem suam, & restrictionem, quam habet ex eo quòd sit existentia talis entis, correspondet causæ secundæ productivæ talis entis. His præmissis.

Prob. 3. Conclusio ratione fundamentali D. Thomæ (*Hic art.* 1. *o. &* 3. *o. & contr. gent. cap.* 68.) Agens, quod operatur intimè in omnibus, non per virtutem a se diffusam, sed per virtutem a se indistinctam & sibi identificatam, est intimè in omnibus secundùm substantiam; atqui Deus operatur intimè in omnibus, non per virtutem a se diffusam, sed per virtutem a se indistinctam: ergo. Major supponitur ex Physica; sed quia negatur a quibusdam, probatur brevitèr. Omne agens debet conjungi passo & effectui, saltèm conjunctione virtutis. 1. Quia agens & passum se habent ut actus & potentia, ut perfectivum & perfectibile; actus autèm & potentia, perfectivum & perfectibile debent esse simùl. 2. Quia effectus immediatè procedens ab aliqua causa, petit immediatè illi, seu ejus virtuti in sua egressione conjungi, res alitèr non est conceptibilis. 3. Quia, si agens non est saltèm virtute præsens passo & effectui, non est ratio assignabilis, cur potiùs illud subjectum sibi subjiciat, & in illud agat quàm in aliud; neque cur illum effectum producat potiùs quàm aliud. Si ergo virtus, qua agens conjungitur passo, & effectui, non sit distincta ab ejus substantia, sed sit ipsumet agens, ut contingit in Deo, hoc ipso quo in omnibus intimè operatur, sequitur, quòd sit secundùm substantiam intimè in omnibus.

Prob. ergo Min. primi syllogismi: Deus in omnibus operatur, & conservat esse, non qualitercumquè, non solùm esse tale vel tale, seu ut restrictum ad talem vel talem speciem, sed universalissimo modo, & absolutè, proùt correspondet enti ut ens est, & est commune omni enti creato & creabili, sic enim est propriùs effectus Dei, ut explicuimus. Atqui esse absolutè est intimum unicuique rei; non quidèm constituendo, id enim est proprium formæ; sed actuando, quia quidquid est rei, si per existentiam non actuetur, est nihil; & illud Deus producit, & conservat in omnibus, non per virtutem creatam a se emissam, sed per virtutem infinitam a se indistinctam: Ergo. Prob. ista 2. pars Minoris: Virtus productiva esse absolutè, proùt correspondet enti ut sic, est virtus productiva totius entis creabilis, est enim ejusdem rationis in omnibus, consequentèr virtus creativa. *Producere esse absolutè*, inquit S. Thom. (*Infrà q.* 45. *art.* 5. *o.*) *non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis*; idque indè magis evincitur, eo quod per suspensionem influxûs divinæ virtutis totum esse annihiletur: ergo signum est, quòd pendebat a Deo, quantùm ad totum esse, non minùs quàm res, quæ simplicitèr creantur. Porrò, si sit virtus creativa, ergo infinita, ergo divinæ substantiæ identificata, ergo Deus.

Confirmatur ista Minor. (*In* 2. *d.* 15. *q.* 1. *art.* 2.) Hæc est differentia inter Deum, & causam reatam quantùm ad modum agendi, quò Deus sit causa purè efficiens, independens a subjecto transmutando; causa creata autèm non est purè efficiens, sed elicit transmutando. Atqui esse absolutè, per se loquendo, non est producibile per transmutationem, sed per solam efficientiam: ergo non est producibile per virtutem creatam. Prob. Min. Illa forma est producibilis per transmutationem, quæ habet formam contrariam, vel privationem in materia, per cujus mutationem materia transeat de potentia ad actum; atqui, per se loquendo, esse absolutè non habet formam contrariam aut privationem in materia; quia existentiæ ut sic non opponitur aliud quàm nihil: ergo esse absolutè non est producibile per transmutationem, sed per influxum Dei, per cujus suspensionem res reducitur in nihil. Ipsum autèm esse tale, quod consequitur productionem formæ, potest per transmutationem attingi, sicùt forma ad quam sequitur, sempèr tamèn dependentèr ab influxu Dei.

Ex his præoccupantur præcipuæ objectiones, quas Scotistæ, & quidam alii faciunt contra hanc D. Thomæ rationem. Objiciunt enim 1. Ideò agens creatum non posse agere in distans, quia est finitæ virtutis, quæ ratio non currit in Deo. Objiciunt 2. Nihil repugnare Deum operari in rebus per virtutem a se diffusam, & uti creaturis, ut instrumentis. Objiciunt 3. causas creatas etiàm producere esse suorum effectuum, consequentèr ad producendum esse non requiri virtutem infinitam.

Hæc, inquam, præoccupata sunt. Ad 1. enim, N. Ant. Non enim agens creatum non potest agere in distans, præcisè quia est finitum, sed propter rationes, quas deduximus in probatione conclusionis. Ad 2. R. Virtutem a Deo diffusam esse virtutem creatam, per virtutem autèm creatam Deus potest operari effectus determinatos, seu esse specificatum & restrictum ad talem vel talem speciem, & transmutando; sed non esse absolutè, proùt correspondet enti ut sic, sive simplicitèr efficiendo: patet ex dictis. Ad 3. similitèr, D. Ant. causæ creatæ producunt esse simplicitèr, & absolutè, proùt correspondet enti ut ens est, N. Ant. esse hoc vel illud, seu specificatum & restrictum ad talem formam, C. Ant. Et ad hunc sensum, D. Conseq. Patet etiàm ex dictis.

Instat P. Henno. Si per impossibile Deus esset tantùm præsens in Cœlo per essentiam, posset in aliis universi partibus operari: ergo ex ejus operatione ubiquè non sequitur consequentia formali, illum esse substantialitèr, & essentialitèr ubiquè. Prob. Ant. Velle & facere sunt idem in Deo, nam *omnia quæcumque voluit, fecit.* Ps. 113. sed si Deus per impossibile tantùm esset in Cœlo per essentiam, posset velle ut aliquid fieret in terra, cùm nulla hujus assignari possit repugnantia: Ergo & facere.

R. N. Ant. supponendo scilicèt, quòd operando in terra maneret tantùm in Cœlo. Ad probationem, D. Min. Atqui, si Deus per impossibile tantùm esset in Cœlo per essentiam, posset velle ut aliquid fieret in terra, eo modo quo est factibile, C. Min. modo quo non est factibile, N. Min. Porrò esse absolutum, proùt correspondet enti ut ens est, non est factibile nisi per virtutem infinitam, quæ est ipse Deus, ut probavimus; at virtus, per quam ageret in terra manens in Cœlo, esset creata & finita: & hæc est repugnantia, quam quærit Theologus Franciscanus.

Di-